

nominaerentur, sed etiam ut praemissa statuta et eorum declarationes iuxta verba et mentem ad minores obedientias ac panes praebendales septem iunioribus canonicis maioribus praebendis praebendatis dari consuetis se extendant, ita videlicet, ut quicquid tam in fructibus obedientiarum minorum aut panum praedictorum isto anno obitus si victuri fuissent percepissent, etiam pro eodem anno percipiant et in morte, ac capitulum et fabrica, sicut in obedientiis maioribus, ita et in minoribus ac panibus praebendalibus in quacunq[ue] vacatione ipsas portiones pro uno anno sortiantur. Quibus quidem consuetudinibus et statutis, quia longis plerisque retroactis temporibus et vicibus ex contraria observantia detractum reperitur, ne igitur inter praesentes canonicos novae dissensionis materiam suscitet et inde litis occasio initium sumat, quod pro quietis remedio providetur, de consilio generalis capituli nostri pro bono pacis et concordiae subscripta sic duximus hac vice moderanda, quod canonicis ecclesiae nostrae actu maioribus praebendis praebendatis declaratio, statuta et consuetudines supradictae praediicare non debeant, quin primo anno assecutionis praebendarum suarum fructus obedientiarum minorum et panum praebendalium per mortem praedecessorum vacantium et similium ea occasione sibi assignatorum ex integro percipere valeant absque quacunq[ue] portionis deductione faciendae fabricae, capitulo vel defuncto, prout apud plures suos praedecessores extitit observatum, eisdem statutis, consuetudinibus supradictis, quae una cum eodem capitulo nunc innovamus, quoad futuros canonicos inviolabiliter et inconcusse firmiter observandis non obstantibus, per quorum declarationem nostram sic futuris formam imponere volumus, ut multa dispendiis praeterita non commendet, et ne ante horum innovationem praesentes detrimentum iurium quaesitorum incurrant, quod alios dignum est futuros ex ratione sustinere. In cuius rei testimonium praesentes litteras exinde fieri mandavimus et nostri sigilli appensione communiri. Datum Misnae anno domini M<sup>o</sup>.CCCC.XX. nono, die vicesima sexta mensis Marcii.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.

### No. 928. 1429. 19. Mai u. 7. Juni.

*Notariatsinstrument wonach im J. 1429 am 19. Mai in den Nachmittagsstunden in domo habitationis providi Nicolai Cziseler opidani in Budissin — Stephanus Heseler presbyter Misn. dioc. vor Notar und Zeugen erschienen ist und eine Appellationsschrift in den Händen gehabt hat folgenden Wortlauts: — ego Steph. H. presb. Misn. dioc. — ad reverendissimum — Guntherum archiepiscopum ecclesiae Magdeburgensis metropolitanum nostrum dico provoco et propono, quod nondum novem diebus elapsis, prout ad mei devenerit notitiam, dominus Henricus curiae episc. Misn. officialis certi tenoris suas litteras emisit, quibus mandat me peremptorie moneri, ut infra novem dies contumaciam coram eo purgare debeam, alioquin mandat me publice excommunicatum denunciari, et nihilominus eisdem suis literis me excommunicat, cum revera nunquam contumax fui nec sim — sentio igitur me per — officialem — gravatum, timensque in posterum plus posse aggravari, a praedicto dom. officiali eiusque processibus monitoriis eiusque sequelis — ad — dom. archiepiscopum Magdeb. eiusque curiam archiepisc. — provoco et appello —. Et quia mihi non patet tutus accessus visitandi dominum meum episcopum Misnensem et eius officialem saltem in loco suae solitae residentiae per insinuandam praesentem appellationem — ipsam volo*